

existimem, quotiescunque lex certum numerum testium desiderat, ad aliquem actum, masculos intervenire oportere: Siquidem mulieres testes omni exceptione majores, quales lex requirere intelligitur, non sunt. Atq; ita in l. 12. ff. de test. non dubito, duos masculos requiri. Sic in testamento solemni mulier testis esse nequit, ut trado *discurs. Acad. 3. concl. 29.* ut & nec in Codicillis *d. disc. 3. miscell. 1.* Quales testes adhiberi debeant, ad probandum tenorem gratiæ, sive deperditi instrumenti? latissimè tracto *discurs. Acad. 2. concl. 51. & in decad. Consil. cons. 6. quest. 7. num. 59.* Ad hujus rei autem probationem mulieres non admitti tradit in terminis, *Prosp. Farin. in absolutissimo tractatu, de testib. lib. 2. tit. 6. q. 59. n. 44.* Sic fœminæ in causâ feudali minimè idoneæ reputantur, *num. 39.* Ego *disc. 3. miscell. 5.* in scripturâ privatâ tribus testibus subscribendâ in casu, *l. scripturas, u. C. qui potiores in pign. masculi* requiruntur, *Farin. d. q. 59. nu. 41.* Neq; dubium est, duos testes, qui conficiendis instrumentis à Notario adhibendi sunt, *Novell. 73. cap. 5.* viros esse oportere. Ad probandam ingratitude[m] requiruntur quinque testes, & ita per consequens masculi. Imò in criminalibus duas fœminas non plenè probare delictum ad effectum condemnandi reum in terminis terminantibus ex aliis tradit *Prosp. Farin. de test. lib. 1. tit. 6. q. 59. cas. 1. num. 27. & nu. 29.* usurpat hæc formalia: Adverte tamen, *inquit*, ne erres, quod in capitalibus, & ubi agitur, de pœnâ mortis imponendâ, tres fœminæ reum non convincant. Confer *Dec. in l. fœminæ, num. 36. vers. & non sunt integri teste, ff. de R. I. Lud. Gilhaus. in arb. jud. crim. c. 6. part. 6. de testibus, num. 70.* Non tamen ex hac assertione concludendum; mulierem nullâ additâ limitatione, planè in criminalibus causis in testes non admitti; ut dixi *disc. Acad. 3. miscell. 2.* Vide *processum judicarium contra sagas & veneficos, unâ cum decisionibus questionum, ad hanc materiam pertinentium operâ & studio Dn. Hermannii Goëhausen, q. 19. p. 177.*

## ARTICULUS XXIII.

*Quomodo indicia, quæ ad torturam sufficiunt, probari debeant?*

1. Respondetur duobus testibus omni exceptione majoribus, vide *art. 6. art. 30. Matth. Steph. & Bernh. Zieris & hic.* Quid dicendum de teste unico fide dignissimo? Sufficiens indicium præbet, *d. artic. 30.* ad quem se remittit *Steph.* item *art. 23. vers. aber so die Hauptsach.* Vide *Ioach. Schepl. in promp. jur. Clam. tit. 44. §. 1. num. 6.* Sed si omni exceptione non major est. Vide *allegatos Commentatores in hanc criminalem constitutionem*, ubi requirunt alia adminicula ad testis unius inhabilitatem supplendam. Huc pertinent ea, quæ tradit *Iust. Gobler. hic, in auctario, p. (mibi) 30.*

## ARTICULUS XXIV.

*Ex indiciis nominatim hic expressis ad non expressa, neq; nominata per comparationem arguere licet.*

1. Vide *art. 53. & 143.* Nam similitum, sive adæquatorum eadem est natura,

tura,